



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 32. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

**PUNCTUM III. OPERA. MEM.** Joseph *consurgens accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Israel.* Matt. 2.

**INTEL.** Perpendamus labores, & incommoda itûs, & reditûs ex Ægypto. **REFL.** Si velimus Regem nostrum sequi, *in iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus cæteris* cum eo persistendum erit.

**VOL.** Summo iterum affectu dicamus: *En o! Rex supreme &c.*

**COLLOQ.** Conforme Contemplationi Regni Christi.

**RECOLLECTIO. REPETITIO APPLICATIO SENSUUM.**

## MEDITATIO XXXII.

*De reditu ab Ægypto.* Matth. 2.

Myft. punct. 3.

**CONG.** Servire Christo tantò propensius; quanto incredibilior ejus erga nos est bonitas: & cætera, sicut antè explicatum est.

**PRÆL. I.** Joseph ingrediens terram Israel, eò quod regnabat Archelaus filius Herodis in Judæa, recessit in Nazareth.

**PRÆL. II.** Quandam figuram itineris ex Ægypto in terram Israël, & in Nazareth concipere.

**PRÆL. III.** Petere gratiam, virtutes, quæ in isto negotio, & itinere eluxerunt, imitandi.

**PUN.**



**P**UNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Considerare virtutes, quæ in Josepho, & MARIA, cum Christo, qui modò hujus, modò alterius brachiis portabatur, per totum illud iter illuxerunt.

INTEL. Ratiocinemur super omnia emicuisse charitatem, cum omnibus proprietatibus, quas enumerat Apostolus 1. Cor. 4. *Charitas patientia est, benigna est.* &c. REFL. Expendamus nostram charitatem ad easdem proprietates.

VOL. Fateamur nos procul abesse ab illâ tam perfectâ charitate : credamus nobis dictum ab Apostolo 2. Thessal. 3. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientiâ Christi.* vel sic oremus cum Ecclesiâ in officio Divino: *Dominus autem dirigat corda, & corpora nostra, in charitate Dei, & patientiâ Christi.*

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Audire MARIAM, & Josephum in itineribus illis colloquentes inter se.

INTEL. Cogitemus inter alia in hunc ferè sensum illos etiam fuisse locutos. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquiremus.* Hebr. 13. Et nos debemus memores esse monitionis. 1. Pet. 2. *Charissimi obsecro vos, tamquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis.* &c.

VOL. Humiliemus nos, quod tot carnalia desideria, *quæ militant adversus animam,* 1. Pet. 2. nobis in mentem veniant, cum simus peregrini, & transeuntes, expugnemus illam rebellionem, ut possimus



possimus Christum sequi: & dicamus Deo: *cantabiles mihi erant justificationes tua; in loco peregrinationis mea.* Pf. 118.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Joseph audiens autem, quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ; & veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. Matth. 2.

**INTEL.** Ratiocinemur, quod Joseph præ oculis habuerit illud Eccli 4. *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Sed in hoc casu confugit ad Deum, juxta illud: *in omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Prov. 5. Sic enim direxit gressus Joseph usque in Nazareth.

**REFL.** Nos quoque dum in similibus casibus incerti sumus, similiter ad Deum confugiamus.

**VOL.** Excitemus actum spei, & fiducia in Deum, quod ipse pariter sit directurus gressus nostros, si ad ipsum confugerimus, & oraverimus: *cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paralip. 20.

**COLLOQ.** Ad Christum Dominum universorum, postulantes, ut per gratiam ipsius excutiamus omnem timorem, & cum magnâ fiduciâ, petamus donum *Consilii* in casibus dubiis. **RECOLLECTIO.**

MEDI-